

PA
4276
L848

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMS AVSPICHS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES AESTIVOS ANNI CIOJCCCLXXXV

A DIE XVI MENSIS APRILIS


PVBLICE PRIVATIMQVE HABEBVNTVR

*Inest EDVARDI LVEBBERTI commentatio de priscae cuiusdam epinicionum
formae apud Pindarum castigijs.*

BOXNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR

PA
4276
L848



306262

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

1. Pindarum ingenii impetum traditis in arte normis et legibus temperasse.

Nihil in artium litterarumque historia gratius et iucundius est, quam illud cogitando persequi, quemadmodum magna semper ingenia duas res natura sua oppositas conciliare inter se et copulare consueverint: pectoris et ingenii liberum impetum et disciplinae antiquitus in arte traditae et stabilitae observantiam. Verum est quidem, quod dicunt: Magna ingenia sibi ipsa pro lege esse: artis leges ea ipsa ex sese parere. Sed magnum semper periculum est, ne ingenia nullis legibus limitibusque externis coercita in furorem quendam poeticum abripiantur, veram artem amittant. Accedit, quod summa plerumque ingenia innata quadam modestia prohibentur, ne ea, quae optimus quisque ante se invenit, temere spernant vel neglegant. Itaque duo quasi principia in summorum semper artificum officina habitant: genius in pectore, sursum evolare atque haec terrena relinquere cupiens, et severa lex disciplinae, nunquam impune neglecta. Atque est hoc summae artis mysterium, haec duo in unam harmoniam coniungere. Eorum, qui hanc concordiam discordem pulcherrime expresserunt, unus haud dubie Pindarus est, cuius cum carmina legas, facile suspicere, magno, permagno interdum illi poetarum regi hanc ingenii ad astra tendentis cum artis regulis conciliationem constitisse. Etenim ille *monte decurrens velut amnis, imbres || quem super notas alucere ripas*, tamen patienter et mansuete subtilissimis illis se legibus submittit, quas epinicionum veterum ars praescripserat, et flumen illud ingens, plenis undis se effundens, in angusto interdum alveo, tenuioribus rivolis commodo, se continet. Tanta in generosissimo pectore temperantia fuit, tantum imperium sui.

2. Praeclarum Westphali inventum de prisca epiniciorum forma. Pindari carmen unumquodque proprium suum stilum habere ex mixtis antiqua lege et innata ingenii vi ortum.

Sed paullo nunc accuratius veteris epiniciorum artis forma consideranda est, quam Pindarus paratam excultamque invenit quamque tanta tenacitate retinuit. De hoc antiquitatum poeticarum capite ut rectius nunc, quam olim, iudicari possit, effectum est palmari Rudolphi Westphal in Prolegomenis in Aeschylum. Lips. 1869 p. 75—81 invento, quod diu neglectum, neque quantum dignum erat, aestimatum vir πινδαρικήματος, Fridericus Mezger, Pindar's Siegeslieder, Lips. 1880, suscepit, nutrit, exornavit, singulisque carminibus adhibens ita firmavit, ut iam pro certo interpretationis Pindaricae fundamento haberi debeat. Ostendit Westphalius, Pindarum epinicia sua secundum normam nomorum Terpandri composuisse, qui ad legem quandam subtilissimae symmetriae elaborati fuerint. De Terpandri in nomis componendis arte Pollux haec tradit IV, 66: μέρη τοῦ καθαρωδικοῦ νόμου, Τερπάνδρου κατανεύμαντος. ἔπαρχα, μέταρχα, κατατροπά, μετακατάτροπα, ὀμφαλός, σφραγίς, ἐπίλοφος. In hoc indice nonnulla turbata esse, recte vidit Westphalius, qui genuinam nomi Terpandrici hanc divisionem constituit (Proleg. in Aesch. p. 80): προοίμιον, ἀρχά, κατατροπά, ὀμφαλός, μετακατάτροπα, σφραγίς, ἐξόδιον. Hanc nomorum structuram Westphalius cum in alia lyricae poesis genera, tum in epinicia translata arbitratur. Eam viri ingeniosissimi opinionem recte se habere, Pindari carmina uno ore testantur. Quamquam enim illa norma paullo tectior est apud Pindarum, nec omnibus carminibus aequabili perspicuitate admixta, tamen, qui accuratius carmina excusserit, eam ubique agnoscet. Unumquodque carmen suum habet temperamentum, suum stilum. Quom enim priscum illud epiniciorum genus cum Pindarici ingenii impetu in poetae officina tanquam in moneta aes cum auro conflaretur et commisceretur, fieri non potuit, quin diversi gradus orientur, prout vel hoc vel illud principatum in carminibus obtineret. Inde eximia illa Pindaricorum carminum varietas orta est, quae omnes affectus, qui inter summam animi tranquillitatem et summum impetum interiecti sunt, complectitur.

3. Pindari carmen Pythium X pulcherrimum priscae artis specimen. Antiquae eius artis et dulcis austeritas et rigida elegantia.

Sed ut priscum illud carminum genus, quale fuerit, accuratius demonstremus, pulcherrimum nunc vetustioris eius artis, quae antiquis hominibus magnopere in deliciis fuisse videtur, specimen consideremus: Pindari illud carmen, quod omnium eius, quae aetatem tulerunt, antiquissimum est, quod Pindarus viginti annorum iuvenis composuit, anno 502 a. Chr. n., carmen Pythium X in Hippocleam Pelinnaeum. De carminis tempore testis est scholiasta ad carminis Pyth. X inscriptionem p. 110 ed. Boeckh: ὁ προκεί-

μενος νικηφόρος Θεσσαλός, πόλεως δὲ Πελινναίου ἐνίκησε δὲ τὴν εικοστὴν δευτέραν πυθιάδα. Pythias 22 convenit cum Olympiade 69,3 = 502 a. Chr. n. conf. Boeckhii disputationem de Pythiadum computandarum recta ratione in Explicatt. p. 207. In hoc igitur carmine Pindarus ad amussim illam epiniciorum normam expressit, quam haud dubie in hoc genere usu receptam invenit: hoc carmen plane tale est, ut eo perlecto venustam illam antiquitatis et austeritatem quandam et dulcedinem persentiscamus. Nam quemadmodum in archaico quod vocatur genere statuarum rigidam quandam elegantiam admiramur: lineamenta oris nullo vehementiore affectu turbata, corporis membra aequabiliter librata, peplorum rugas a medio clavo utrinque ad subtilem symmetriam dispositas: ita in hoc carmine omnia quasi ad perpendicularum exacta sunt, ut haec gravitas et pompa cum juvenili alacritate et ardore mixta non possit non amabilissima videri. Nomi vero Terpandrici schema tam accurate expressum est, ut talem quandam epiniciorum formam sollemnem et tralaticiam olim extitisse, etiamsi aliunde non constaret, hoc uno carmine certum videri deberet. Carmen planissime in septem partes divisum est: prooemium v. 1—3 ed. Christ. Lipsiae 1873: archa v. 4—29 πλόον; catatropa v. 29 ναυσί — 30: omphalus v. 31—45 φέρων: metacatatropa v. 48 εὐοί — 54: sphragis v. 55—68: exodium v. 69—72.

4. Fabula de Perseo in carminis Pythii X omphalo quid sibi velit.
Omphalus solis instar carmen illustrat.

Sed has partes cur ita constituerimus, ratio nunc reddenda est. Atque *omphalus* quidem carminis maxime distincte clareque circumscriptus est v. 31—45 φέρων. Continet fabulam de Persei ad Hyperboreos expeditione. Duplex eius fabulae inserendae consilium fuit: primum ea praeceptum continetur ad vitam omnino et mores spectans: describitur aeterna quaedam felicitas mortalibus pulcherrima ad cogitandum, sed in hac vita nunquam impetrabilis. Deinde res publicae Thessalorum tanguntur; nam Persei illis temporibus nomen in Thessalia certa quaedam animorum in re publica studia significabat. Perseus enim primum proavos est principum Thessalorum, quoniam Aleuadae Herculis posterius sunt, Pind. Pyth. X, 2 πατὸς . . . ἀριστουάχον γένος Ἡρακλέος βασιλεύει; deinde secundum Graecorum fabulas, quas libenter a Persis adoptatas videmus, ipsorum Persarum ille quasi parens est, cum eorum reges a Perse, Persei filio, oriundi dicerentur. Atque illis ipsis temporibus, quibus hoc carmen compositum est, familiarior iam usus Thesslis dynastis cum Persis intercessisse videtur: qua de re optime dixerunt Boeckhiius, Explicatt. p. 331 et Tycho Mommsen in aureolo libello: Pindaros p. 37. Xerxen ipsum audimus eo titulo fretum ab Argivis petiisse, ut foedus secum ferirent, quod Persarum quoque natio a Perseo, heroe Argivis patrio et domestico, originem duceret. Herodotus VII, 159: ἐλθόντα δὲ τοῦτον (i. e. τὸν κήρυκα) λέγεται εἰπεῖν Ἄνδρες Ἀργεῖοι, βασιλεὺς Ξέρξης τάδε ὑμῖν λέγει Ἡμεῖς νομιζομεν Πέρσην εἶναι, ἀπ' οὗ ἡμεῖς γεγόναμεν, παῖδα Περσέος τοῦ Δανάης, . . . οὕτω ἂν ὧν εἶημεν ὑμέτεροι ἀπόγονοι. Congruit cum Herodoto Apollodorus 2, 4, 5, 1:

ἐγένοντο δὲ ἐξ Ἀνδρομέδας παῖδες αὐτῶ, πρὶν μὲν ἔλθειν εἰς τὴν Ἑλλάδα Πέρσης, ὃν παρὰ Κηφεὶ κατέλιπεν· ἀπὸ τούτου δὲ τοὺς Περῶν βασιλέας λέγεται γενέσθαι· ἐν Μυκῆναις δὲ Ἄλκαϊος καὶ Σθένελος. Haec igitur omphali fabula in medio posita solis instar totum carmen illustrat.

5. De carminis Pythii X partibus sex circa omphalum elaborata
elucubrataque symmetria dispositis.

In archa et sphragide de rebus ipsius victoris et patris eius Phriciae dictum est. Itaque duplex transitio paranda poetae erat: tam a rebus praesentibus ad mythica, quam contra a mythicis ad res praesentes. Illud per *catatropam* fit, hoc per *metacatatropam*. Poeta optime providit, ut hae partes invicem sibi respondententes recte agnoscantur, nam ambobus locis imagine usus est a navigatione sumpta. Posteaquam in extrema archa de victoris felicitate dixerat, quae ut in homine maior esse non possit, v. 28 ὅσαις δὲ βροτὸν ἔθνος ἀγλαΐαις ἀπτόμεσθα, περαίνει πρὸς ἔσχατον || πλόον: in catatropa pergīt: Esse vero in rebus humanis extremum quiddam; iter in beata Hyperboreorum loca mortalibus negatum esse, v. 29: ναυσὶ δ' οὔτε πεζὸς ἰὼν ἂν εὐροις || ἐς Ὑπερβορέων ἀγῶνα θαυματὰν ὁδόν. Redit eadem navigationis imago in metacatatropa, ubi absoluta illa longiuscula de Perseo fabula poeta, tanquam nimium evagatus sit, ipse se revocat v. 51: κῶπαν σχάσον, ταχὺ δ' ἄγκυραν ἔρεισον χθονὶ || πρῶραθε, χοιράδος ἄλκαρ πέτρας. Deinde vero in *archa* quoque et *sphragide* definiendis et circumscribendis poeta, regularum illarum, in quibus educatus erat, adprime memor, satis prospexit, ut quae diiungenda sint, diiungere possimus. Inventa catatropa nunc a prooenio *archa* discernenda est. Poeta, ne incerti essemus, in *prooemio* quoque terminando solito sibi artificio usus est: revocat se ipse a cursu instituto, tanquam a recto tramite aberrarit. Laudatis igitur Spartaee et Thessaliae gubernatoribus Heraclidis ipse sese increpat: τί κομπέω; κατὰ καιρὸν ἀλλὰ με Πυθῶ τε καὶ τὸ Περινναῖον ἀπύει. Nam ita: κατὰ καιρὸν cum scholiasta scribendum; quod codices habent, παρὰ καιρὸν, ex interpolatione ortum est. Ab illa igitur exclamatione, qua impetum propositi immemorem — hac enim fictione utitur — compescit, archa initium capit.

Denique *sphragis* quoque ab *exodio* haud maiore negotio discerni poterit. Exodium enim, quod postremum in carmine locum obtinet, quibus versibus contineatur, inde facile divinare licet, quod, quae est huius schematis symmetria, prooemii argumentum, Thessalorum dynastiarum laudes, in fine carminis redire videmus. Quattuor igitur versus postremi huic Aleuadarum praeconio destinati exodium continent, v. 69 ἀδελφεοὺς ἐπὶ τ' αἰνήσομεν ἔσλους, ὅτι || ὑποῦ φέροντι νόμον Θεσσαλῶν || αὔξοντες· ἐν δ' ἀγαθοῖσι κείνται || πατρώια κεδναὶ πολίων κυβερνάσις. Archa vero et sphragis ea re sibi respondent, quod ambae in victoris eiusque patris Phriciae fortuna praedicanda versantur; accedunt praeterea pulcherrima quaedam de sorte et vita humana omnino praecepta. In summa semper felicitate modum rebus humanis impositum respiciendum esse et fortunarum fragilitatem.

VII

In archa igitur deorum comprecatio inserta est, v. 20: μὴ φθοραῖς ἐκ θεῶν || μετατροπίας ἐπικύρσαιεν. In sphragide, quam caduca sint omnia humana, memoriae infigitur, v. 63 τὰ δ' εἰς ἐνιαυτὸν ἀτέκμαρτον προνοῆσαι. Ex hoc igitur Pindari carmine Pythio X plenissimam illam maxumeque elaboratam, ac paene dixerim elucubratam antiquiorum epinicionum symmetriam intellegere licet. Atque ne quidquam omnino omittamus: ne hoc quidem casu factum videtur, quod in catatropa et metacatatropa eiusdem stirpis voces, eodem sono praeditae reperiuntur. Nam v. 30 θαυματὰν ὁδὸν ipsa versus sede respondet verbis ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι. Rem acute iam animadvertit Mezgerus in libro rebus egregie inventis instructissimo: Pindar's Siegeslieder p. 261. Quamquam enim minime in ea opinione sum, omnes huius generis similitudines et responsiones, quas Mezgerus invenisse sibi visus est, arti et consilio poetae tribuendas esse, tamen in paucis nonnullis exemplis re vera consensum illum a Pindaro consulto inductum crediderim in eaque re antiquioris illius generis poetas Pindaro viam praevisse.

6. Priscae epinicionum artis ante Pindarum vestigia quaedam tenuia demonstrantur.
Poetae potissimum Aeginetici antiquae normae cultores.

Gratissimum sine dubio accideret, si epinicionum illorum priscorum artis historiam densis tenebris involutam aliqua luce illustrare liceret. Ac nisi omnia fallunt, sunt nonnulla indicia, quibus freti eius poesis fata paullo saltem plenius cognoscere possimus; quae etsi exigua et tenuia sunt, tamen in his litteris tantam iacturam passis neglegenda non videntur. Pindarus ipse locis nonnullis scholam quandam poetarum Aegineticorum commemorat, quae carminibus potissimum epiniciis componendis excelluerit. Ex gente nobili Theandridarum (Nem. IV, 73) duo poetae a Pindaro nominantur in carmine Nem. IV, quod Timasarcho scriptum est; primum Timocritus, quem, si etiam tunc inter vivos esset, filii victoriam carmine celebraturum fuisse, Pindarus dicit Nem. IV, 13; deinde Euphanes (Nem. IV, 89), quem olim carmine epinicio Calliclem cognatum prosecutum esse, poeta testatur; Nem. IV, 89 Καλλικλῆς . . . τὸν Εὐφάνης ἐθέλων γεραιὸς προπάτωρ || σὸς ἄεισεν τότε, παῖ. Ita enim locus cum Rauchensteinio, praecedentibus Hermanno et Boeckhio: Notae critic. p. 524, scribendus videtur. Poetas Aegineticos in carminibus suis veterem normam nomorum Terpandri secutos esse, indicia nonnullis satis speciosis probari potest. Primum Pindari carmina Aeginetica undecim antiquam normam pressius fere strictiusque, quam reliqua sequuntur. Deinde Pindarus ipse loco quodam cognitu dignissimo, Nem. IV, 33, clare dicit, se quominus genio suo materiam quandam pulcherrimam exornare gestienti morem gerat, lege et constitutione, τεθμῶ, poesis Aegineticae impediri; Nem. IV, 33 τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθμὸς || ὥραί τ' ἐπειγόμεναι. Accidit autem felicissime, ut haec sive lex, sive observantia quid postularit, accuratius definiri possit. Qua in re sane ambagibus nonnullis utamur necesse est.

7. Apud poetas Aegineticos de omphalo regulam quandam peculiarem subtilioremque fuisse, cui lubentissime Pindarus se subiecerit.

Mos erat apud Aeginetas, ut in omnibus carminibus epiniciis in omphalo Aeacidarum laudes canerentur. Atque hoc quidem in universum Pindarus stricte secutus est, quippe qui profecto non is esset, ut a tali more, ipsis religionibus firmato et sancto, discederet. Ipsum hoc profitentem audiamus; Isth. V, 19: ὕμνῳ δ' ὃ χρυσάρματοι Αἰακίδαί τεθμυόν, μοι φαμί σαφέστατον ἔμμεν, || τάνδ' ἐπιστείχοντα νᾶσον ραινέμεν εὐλογίαις. Deinde Isth. IV, 19: τὸ δ' ἐμὸν || οὐκ ἄτερ Αἰακιδᾶν κέαρ ὕμνων γεύεται. Atque omnino Pindari erga hunc morem obsequium inde luculentissime apparet, quod cum undecim eius carmina in victores Aeginetas habeamus, in decem carminum omphalis Aeacidarum fabulas enarratas videmus; in uno solo carmine Pyth. VIII non in omphalo, sed in archa Aeacidarum praeconium collocavit, stilum carminis paullulum varians, caussis nonnullis commotus, de quibus suo loco seorsum dicendum erit. His omnibus evincitur, Pindarum lubentissime et laetissime semper se illi Aeginetarum praecepto de Aeacidarum laudibus in omphalo celebrandis subiecisse. Iam igitur quaeritur, quid sit, quod in carmine Nem. IV, 33 conqueritur: in ea materia, quam libentissime tractaturus esset quaeque summa ac paene insuperabili vi sese attrahat, sibi commorari diutius non licere. Pulcherrima enim imagine illud in pectore officii cum affectu luctamen describit, v. 35: ἵσχυρὸν δ' ἔλκομαι ἤτορ νεομηνία θιγέμεν. || ἔμπα καίπερ ἔχει βαθεῖα ποντιάς ἄλμα || μέσσον, ἀντίτειν' ἐπιβουλίᾳ. Quaeritur igitur, quale tandem illud artis apud Aeginetas praeceptum fuerit, cui ut obsequeretur, Pindarus summa demum vi adhibita ab sese impetrare potuit. Praeceptum illud gravissimum et supremum de Aeacidarum laudibus in omphalo memorandis hoc quidem loco Pindarus haud dubie non significat: ei enim praecepto nunquam invitus, sed lubentissime semper morem gessit. Sed quae erat Aeginetarum in his rebus subtilitas et veteris moris tenacitas, ad generale illud de Aeacidis praeceptum aliam quandam observantiam accessisse probabile est, cui Pindarus parandum quidem et obsequendum putaret, verum ita, ut invitus ac non sine aliquo suo dolore sese subiceret.

8. Artificium hoc est Pindari, ut ex heroum fabulis in omphalo positis amicorum eius fata et facta reluceant. Eadem ratione carminis Nemei IV omphalum tractare constituerat.

Pindarus saepius in carminibus heroum res gestas et certamina eum in modum enarrat, ut amicorum, quos canit, ex caelesti illa heroum imagine fata, certamina, mores reluceant. Huius moris luculentissimum exemplum carmen est Olymp. X in Agesidamum Locrum Epizephyrium. Totum hoc carmen scriptum est de mira, quae in *altero conatu*

sit, vi ac felicitate. Hercules quemadmodum secundo demum conatu Actoridas vicerat: ita in Olympico pugilatus certamine Agesidamus secundo demum impetu facto vicerat. Simile quid Timasarcho, Timocriti filio, Aeginetae, cui carmen Nem. IV scriptum est, acciderat. Is aliquot vulneribus acceptis et debilitato atque attrito corpore, summa tamen constantia perseverando vicerat; Nem. IV, 30: ἀπειρομάχας ἑὼν κε φανείη || λόγον ὁ μὴ συνιείς· ἐπεὶ || ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν. Hoc ipsum Timasarchi factum et praeceptum vitae, quod inde redundabat, Pindarum apparet in omphalo exornaturum fuisse, qua in re non ipsum Timasarchum suo nomine nominaturus et celebraturus erat, quod in puero parum profecto decorum fuisset, sed sub Telamonis, Aeaci filii, imagine, qui similia peressus erat, pulcherrime totum illum locum de aerumnis ad virtutem probandam necessariis persequi potuerat. Quam praeclare illud poeta facturus fuerit, ex archa carminis Nemei IV apparet v. 25—30, ubi Telamonis contra Alcyoneum expeditio victrix quidem, sed multis vulneribus insignita narratur.

9. Artificium Pindaro maxime dilectum apud Aeginetas haud popolare. Inde Pindarus in carmine Nemeo IV cum Aeginetis partim serio, partim iocabundus expostulat.

Haec igitur Telamonis fata, quorum sub specie Timasarchi in luctae certamine Nemeo fata verecunde et modeste significarentur, Pindarus eo tempore, quo ad componendum hoc carmen primum se accinxit, in omphalo luculentius persequi meditatus erat. Sed hoc ipsum consilium ut missum faceret, ea re commotus est, quod tale artificium, licet per se pulcherrimum, ex mente Aeginetarum non futurum intellexit.

Ac, nisi fallimur, facile cur id illis displiciturum fuerit, dici potest. Aeginetae enim tanta pietate et religione Aeacidarum colebant eorumque omnes mythos tanta sanctitate circumfusos arbitrabantur, ut sub eorum heroum imagine unius e civibus fata et facta vel tecte verecundeque celebrari aegre ferrent. His reputatis Pindarus quae de omphalo componendo initio constituerat, missa fecit et in carminis Nemei IV omphalo v. 46 ἔνθα — 68 de Aeacidarum gloria per orbem terrarum propagata generalius dixit. Vituperaverant, opinor, nonnulli ex Aeginetis Pindari morem, quo, victoriae alicuius occasione oblata, nimia scilicet granditate et sublimitate percitus ad sortis humanae leges summas interpretandas et ad intimos pectoris humani recessus excutiendos se accingeret. Tales meditationes ab Aeacidarum fabulis illi procul habendas arbitrabantur. Pindarus igitur malevolorum hominum, poesin suam carpentium, criminationes evitans ad morem antiquitus traditum carminis omphalum composuit. Fecit id animo mitissimo et cum aliqua etiam hilaritate se ipsum compellans, Nem. IV, 37: ἀντίτειν' ἐπιβουλία. Sed nihilo minus aliqua saltem ex parte poeta integerrimus pectoris sui sensui morem gessit; nam in versibus cognitu dignissimis id ipsum significavit: in praesens concedere sese obtrectatoribus; sed divinam illam ingenii

sui venam procedente tempore excultum iri et triumphaturam: Nem. IV, 41: ἐμοὶ δ' ὅποιαν ἀρετὰν ἔδωκε πότμος ἄναξ. ἢ εὐ οἶδ' ὅτι χρόνος ἔρπων πεπρωμέναν τελέσει. Hoc vaticinium eventu ita confirmatum est, ut quam id verum esset, ipsi Aeginetae clarissime intellexerent. Nam haud longe post, cum felicissima olim insula ab Atheniensibus gravissimis cladibus premeretur, aurea illa Pindari praecepta et solatia, heroum suorum fabulis illustrata, lubentissimis illi animis auribusque imbiberunt.

10. Unam esse viam artis Pindaricae pernoscendae, si nomi Terpandrici partium singillatim vestigia omnia in eius carminibus conquirantur et examinentur.

Ex eis, quae disputavimus, paullo fortasse clarior fit prisci illius epinicionum generis historia. Vidimus, quanta tenacitate severiorem nomi Terpandrici normam poesis illius cultores retinuerint. Nam altas haud dubie radices carminum ad hunc modum compositorum auctoritas et gratia in animis hominum egerat. Itaque coniectura saltem assequi licet, quae in hoc genere Pindarus tradita et stabilita invenerit. Proximum iam est, ut definiamus, qua ratione Pindarus formam antiquitus propagatam variaverit et augustiorem reddiderit. Nam hoc quidem statim vel levius rem inspicienti patet, eum tanquam alterum quendam Prometheum novam animam his formis inspirasse. Quamquam enim in priscis illis formis servandis maxime pium et religiosum poeta talium rerum observantissimus se praebuit, tamen genium suum illis regulis tanquam compedibus vinciri et ab audaci et libero in aetherem cursu retineri nefas omnino putavit. Iam igitur ut clare hoc perspiciatur, qua Pindarus arte disciplinae veteris observantiam cum ingenii divina libertate in harmoniam suavissimam conciliarit, ita quaestionem nostram instituemus, ut omnia veteris normae vestigia in Pindari carminibus se offerentia colligamus. Hoc ut ordine suo fiat, de omnium nunc nomi Terpandrici partium usu apud Pindarum dicamus, seorsum unaquaque per omnia carmina excussa et examinata. Atque ut ea, quae maxime in oculos incidunt, primum tractemus, initium capiamus a duobus illis quasi metis, intra quas omphalus decurrit, a *catatrofa* et *metacatrofa*. Unum autem praemonendum est, quoniam varietatem usus Pindarici exemplis in classes discriptis demonstraturi sumus: cum Pindari carmina XLIV habeamus, eorum octo ab hac quaestione removenda et seponenda nobis videri; nam unum, carmen Nem. XI, in Aristagoram Tenedium, epinicion omnino non est, sed encomium in virum ad prytaeis munus designatum eumque honorem sibi mandatum sollemnius lautiusque celebrantem. Reliqua vero septem: Ol. IV, V, XI, XII, XIV; Pyth. VII; Nem. II tam brevია sunt, ut artificiosior illa nomi Terpandrici structura in eis locum non invenerit. Remanent igitur carmina XXXVI, quorum nunc compositio accuratius consideranda est.

11. Catatroparum septem classes constitui posse, prout magis minusve aut seiungant aut vinciant. *Prima* classis cum *octo* exemplis: *Nem. III. Nem. V, Ol. IX. Nem. VIII, Pyth. VIII. Nem. X. Ol. XIII. Nem. IV.*

Catatropae ea natura et vis est, ut ab archa ad omphalum carminis cursum tra-
ducat. In universum duo catatroparum genera fingi possunt: aut enim hoc sibi proponit
poeta, ut archam ab omphalo segreget atque seiungat, eum in modum, ut clare appareat,
has duas partes in rerum generibus plane diversis versari atque suum utramque proprium
campum habere: aut illud poeta curare potest, ut conexus quidam pressior et arctior
alteri cum altera sit. Potuit enim hoc quoque pulchrum videri, si, tanquam in uno cor-
pore membra, archa cum omphalo coalesceret. Sed haec duo catatroparum genera non
ita sibi opposita sunt, ut Pindari carmina quasi in duo castra hostilia discedant. Immo
multi inter ambo interiecti sunt gradus, quibus aut lenior et mitior seiunctio, aut laxior
et liberior coniunctio significatur. Quare *septem* catatroparum *classes* distinximus, quibus
omnes illae in copulanda cum omphalo archa diversitates comprehendantur.

Prima classis, cuius *octo* sunt exempla, ea est, in qua orationis cursus in archa
institutus abrumpitur. In ea ex parte satis asper et prae fractus est transitus ab archa
ad omphalum. Poeta ipse se increpat, tanquam vehementiore instinctu impulsus egres-
sionem intempestivam inceperit, a qua iam iam recedendum sit. *Nem. III. 26*: θυυέ, τίνα
πρὸς ἄλλοδαπὰν ἢ ἄκραν ἐμὸν πλῶον παραυεΐβειαι; Αἰακῶ σε φαυὶ γένει τε Μοῖσαν φέρειν. —
Deinde post fabulas in archa, quibus heroum — ingratum dictu — facta nonnulla impia
significantur, ipse sibi silentium imponit. *Nem. V. 16*: στάσουαι . οὐ τοι ἅπαντα κερδίων
φαίνοισα πρόσωπον ἀλάθει' ἀτρεκές'· καὶ τὸ σιγᾶν πολλακίς ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι. —
Ol. IX. 35: ἀπό μοι λόγον τοῦτον στόμα ῥῖψον· ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς ἐχθρὰ σοφία
καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν ἰανίασιν ὑποκρέκει. — Interdum ne ex nimia laude invidia
excitetur, tacendum censet. *Nem. VIII. 19*: ἴσταμαι δὴ ποσσὶ κούφοις, ἀυπνέων τε πρὶν τι
φάμεν. — *Pyth. VIII. 29*: εἰαὶ δ' ἄσχιλος ἀναθέμεν πᾶσαν μακραγορίαν . . . ἢ κόρος ἐλθῶν
κνίσῃ . τὸ δ' ἐν ποσὶ μοι τράχον ἴτω τεδὸν χρέος, ᾧ παῖ. — *Nem. X. 20*: βραχὺ υοὶ στόμα
πάντ' ἀναρήσασθ', ὅσων Ἀργεῖον ἔχει τέμενος· μοῖραν ἐσλῶν· ἐστὶ δὲ καὶ κόρος ἀνθρώπων
βαρὺς ἀντιάσαι. — Post innumerabiles Xenophontis Corinthii victorias, quas in archa car-
minis *Ol. XIII* cecinit, v. 46: οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν ποντιαὴν ψάφων ἀριθμὸν, ita modestiae
memor pergit, *Ol. XIII, 47*: ἔπεται δ' ἐν ἐκάστῳ μέτρον· νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος. —
Eodem pertinet locus, quo dicit, se quominus pergat, artis lege et temporis angustiis
prohiberi, *Nem. II. 33*: τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθυὸς ὦραι τ' ἐπειγόμεναι. — Has
catatropas, quas „abrumpentes“ haud inepte dixeris, maxime ex more veteris epinicionum
poesis fuisse credibile est. Ea enim hoc potissimum secuta videtur, ut in carminibus ad
nomi Terpandrici normam factis partes finitimae clare inter se distinerentur.

12. *Secunda* classis, ex parte vinciens archam et omphalum, ex parte segregans, *quattuor* habet exempla: *Nem. I, Nem. VI, Isth. III, Isth. IV.*

Secundae classi, quae *quattuor* exempla subministrat, hoc proprium est, ut post archam, quae praeludia iam laudum victoris vel patriae eius induxerat, poeta nunc altius sibi insurgendum esse dicat; magnam rerum pulcherrimarum copiam sibi in promptu esse, quae debita carminum praemia et mercedem sibi poscant. In huius generis exemplis plerisque omphali, qui catatropam sequitur, ea ratio est, ut non ad res mythicas egrediatur, sed ipsius victoris merita et res gestas praedicet. In uno solo carmine, *Isth. IV.*, omphalus totus in fabulis versatur. Exempla haec sunt. *Nem. I, 18:* πολλῶν ἐπέβαν καιρὸν οὐ ψεύδει βαλῶν. Quae sequuntur in omphalo eximium exquisitissimumque Chromii elogium exhibent. — *Nem. IV, 29:* ἔλπομαι ἥ μέρτα εἰπῶν σκοποῦ ἅντα τυχεῖν ἢ ὠτ' ἀπὸ τόξου ἰεῖς: εὐθὺν' ἐπὶ τοῦτον ἐπέων, ὦ Μοῖσ', ἄγ' οὖρον ἥ εὐκλεία. Sequitur in omphalo a versu 36 Bassidarum praeconium. — *Isth. III, 19:* ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος, ἥ ὦ Μέλισσ', εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις ἥ ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνω διώκειν. — In postremo exemplo *Isth. IV, 26* omphalus mythicus est. In archa poeta hoc dixerat, virorum strenuorum laudibus invidendum non esse: sequitur catatropa: nam heroum quoque egregii bellatores summae semper vatibus et sapientissimo cuique curae fuerunt: *Isth. II, 26:* καὶ γὰρ ἠρώων ἀγαθοὶ πολεμισταὶ ἥ λόγον ἐκέρδαναν. κλέονται δ' . . . μυρίον χρόνον: μελέταν δὲ σοφισταῖς ἥ πρόσβαλον σεβιζόμενοι. Omphalus Aeacidarum gloriam persequitur. — In hac igitur classi tantum abest, ut saltu aliquo archa ab omphalo dirempta sit, ut catatropa vinculum potius inter ambos constituat. In prima classi asperius membra vicina divisa vidimus. *Secunda* classis eam diiunctionem egregie mitigat; sed nihilo minus in hac quoque classi catatropa distinendis finitimis partibus ex parte quadam ea re prospicit, quod suam in ea personam poeta rerum varietati immiscet. Hoc ipso artificio iam series et continuatio membrorum sese excipientium interrumpitur. Adparebit autem in sequentibus, interdum, cum res ita ferre videretur, multo etiam arctius archam cum omphalo Pindarum copulasse.

13. *Tertia* classis, deorum comprecationes continens, cum *tribus* exemplis: *Ol. II, Ol. VIII, Pyth. I.* — *Quarta* classis, omphalo praeludens, cum *sex* exemplis: *Pyth. IV, Ol. VII, Nem. IX, Isth. V, Isth. I, Ol. VI.*

Tertia classis cum *tribus* exemplis ea est, in qua catatropa deorum immortalium comprecationes continet, quod fit in carminibus, quibus intimum animi sensum poeta eloquitur. *Ol. II, 13:* ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας . . . ἥ ἰανθεῖς ἀοιδαῖς ἥ εὐφρων ἄρουραν ἔτι πα-

τρίαν σφίσιν κόμισον || λοιπῷ γένει. — *Ol. VIII, 28*: ὁ δ' ἐπαντέλλων χρόνος || τοῦτο πράσσω
 μὴ κάμοι || Δωριεὶ λαῷ ταμειουμένην ἐξ Αἰακοῦ. Versus postremus appositionem continet
 ad v. 27 κίονα δαμονίαν. Hac appositione transitus ad omphalum paratur, qui, quod sae-
 pissime factum videmus, a pronomine relativo incipit v. 31: τὸν (i. e. Αἰακόν) παῖς ὁ Λατοῦς
 εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν || . . . καλέσαντο. — *Pyth. I, 39* Λύκιε καὶ Δάλιοι' ἀνάσσω Φοῖβε, Παρ-
 νασοῦ τε κράναν Κασταλίαν φιλέων, || ἐθελήσας ταῦτα νόψ τιθέμεν εὐάνδρον τε χῶραν. Sequi-
 tur omphalus bipartitus, quo ostenditur, deorum tutelae et prospicientiae omnia deberi,
 tam virtutum in humano pectore constantiam v. 41—66. quam bonum in rebus gerendis
 eventum v. 67—80. — In *quarta* deinde classe, quae sex exempla praebet, catatropae
 ea est vis, ut quasi praenuntia sit omphali sequentis, argumentum eius paucis verbis
 adumbrans. Nutu igitur iam indicat poeta, quid in omphalo enarraturus sit. Qua in re
 plerumque verbum illud, quo suum negotium poeta significat, in tempore futuro positum
 videmus: ἐθελήσω, δώσω, ἐπασκήσω. *Pyth. II, 67*: ἀπό δ' αὐτὸν Μοῖσαισι δώσω || καὶ τὸ
 πάγχρυσον νάκος κριοῦ. — *Ol. VII, 20*: ἐθελήσω τοῖσιν ἐξ ἀρχᾶς ἀπὸ Τλαπτολέμου || Ξυλὸν
 ἀγγέλλων διορθῶσαι λόγον, || Ἑρακλῆος || εὐρυσθενεὶ γέννα. — *Nem. IX, 9*: ὦν ἐγὼ || μνασθεῖς
 ἐπασκήσω κλυταῖς ἥρωα τιμαῖς. Sequitur in omphalo narratio de Adrasti adversus Thebas
 expeditione. — Similis ratio est loco *Isth. V, 19*: ὕμμε τ', ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαί, τέθμιόν
 μοι φασὶ σαφέστατον ἔμμεν || τάνδ' ἐπιστείχοντα νᾶσον βανέμεν εὐλογίας. —

In carmine *Isth. I* in catatropa omphalus promittitur, qui coniunctas Castorum cum
 Herodoti Thebani, curru victoris, laudes celebraturus sit, *Isth. I, 14*: ἄλλ' ἐγὼ Ἑροδότῳ
 τεύχων (hanc codicum et scholiastae lectionem coniecturis eruditorum praetulerim) τὸ μὲν
 ἄρματι τεθρίππῳ γέρας, || ἀνία τ' ἀλλοτρίαις οὐ χερσὶ νωμάσαντ' ἐθέλω || ἢ Καστορείῳ ἢ Ἰολαοῖ'
 ἐναρμόξει νιν ὕμνω. — Ad eandem classem haud dubie revocandum est, cum poeta non
 aliquo narrandi vel promittendi vocabulo posito ea praenuntiat, quae in omphalo perse-
 cuturus sit, sed quom incantatione quadam poetica usus se ipsum et auditores in ea loca
 perfert, quae illius in omphalo fabulae quasi theatrum sunt. Hoc artificio utitur *Ol. VI, 22*:
 ὦ Φίντις, ἀλλὰ Ζεῦξον ἤδη μοι σθένος ἡμιόνων || ἧ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ || βάσομεν
 ὄκχον, ἴκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν || καὶ γένος . . . πρὸς Πιτάναν . . . παρ' Εὐρώτα πόρον. — Eadem
 ratione catatropa in medias res, in quibus versatur omphalus, nos perducit in carmine
Pyth. II, 21, quo loco Ixion, cuius crimen et supplicium copiosius in omphalo demum
 narrantur, iam in catatropa pingitur ad rotam alligatus et alta voce praeceptum illud
 omnibus inculcans de grati animi officio nullo tempore neglegendo. Tamen hoc exemplum
 classi sequenti adscribendum videtur. Nam quartae quidem, in qua nunc versamur,
 classi hoc proprium est, ut ipse poeta in catatropae formula prodeat suamque personam
 interponat. Etenim haud dubie interest aliquid inter eas catatropas, in quibus ipse de
 se suoque negotio loquitur poeta, easque rursus, in quibus nulla est ipsius poetae mentio.
 In illis apertissimum est continuitatem membrorum gravius interrumpi, quam in altero
 genere.

14. *Quinta* classis, archam et omphalum arctius pressiusque vinciens herois vel rei nomen ab archa exceptum omphalo praefigit. *Sex* habet exempla:

Pyth. VI, Pyth. II, Ol. III, Pyth. XII, Pyth. XI, Isth. VII.

Accedimus nunc ad classem *quintam*, cuius *sex* exempla apud Pindarum inveniuntur. Eius classis definitio haec est, ut catatropa vel herois alicuius nomen, vel rei cuiusdam memoriam ab archa excipiat et exceptam omphalo quasi praefigat. In omphalo deinde copiosius de re hunc in modum proposita disseritur. Velut *Pyth. VI* in archa pietas erga parentes debitis laudibus effertur; pergit in catatropa Pindarus *Pyth. VI, 28*: ἐγέντο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιατὰς || νόημα τοῦτο φέρων. Sequitur omphalus pronomine relativo, uti assolet, adnexus v. 30: ὃς ὑπερέφθιτο πατρός . . . — Ad hoc genus apertissime pertinet *Pyth. II*, ubi, cum in archa de animo gratissimo virginum Locrensiū poeta dixisset, in catatropa Ixionis propter neglectum gratiae persolvendae officium supplicium et verba terrorem incutientia enarrat. *Pyth. II, 21*: Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς || λέγειν ἐν πετερόεντι τροχῷ || παντῶ κυλινδόμενον· || τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιομένους τίνεσθαι. — *Ol. III, 11*: ᾧ τινι, κραινῶν ἐφετμὰς Ἡρακλέος προτέρας, || ἀτρεκῆς Ἑλλανοδίκας . . . || ἀμφὶ κόμαισι βάλλη . . . κόσμον ἐλαίας· sequitur omphalus more solito adiunctus: τὰν ποτε . . . ἐνεικεν. — In carmine Pythio XII nomi musici polycephali, in cuius certamine Midas Arigentinus vicerat, inventio narratur. Itaque iam ex archa rei potissimae mentionem excipit catatropa exceptamque omphalo porrigit, *Pyth. XII, 6*: Ἑλλάδα νικάσαντα τέχνη, τὰν ποτε || Παλλὰς ἐφεύρε θρασειᾶν Γοργόνων || οὐλίον θρήνον διαπλέξαισ' Ἀθάνα· omphalus rem uberius persequitur v. 9: τὸν . . . || αἶε λειβόμενον. — In carmine *Pyth. XI* victoria Pythia memoriam Pyladis excitat; Pyladis nomen ab Oresta inseparabile; *Pyth. XI, 15*: (Θρασυδαῖος) ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραισι || νικῶν ξένου Λάκωνος Ὀρέστα. Omphalus: v. 17 τὸν δὴ φονευομένου πατρός . . . — *Isth. VII, 26*: postquam de Aeacidarum virtute et sapientia dictum fuerat, ita pergitur: ταῦτα καὶ μακάρων ἐμέμναντ' ἀγοραί, || Ζεὺς ὄτ' ἀμφὶ Θέτιος ἀγλαός τ' ἔρισαν Ποσειδᾶν γάμψ. Omphalo narratur, quodnam Peleus pro virtute praemium ceperit.

15. In *sexta* classi catatropa generali sententia efficitur, quae clausula est archae, exordium vero omphali. Haec coniunctio arctissima. Exempla *quattuor*:

Ol. X, Pyth. V, Pyth. III, Pyth. IX.

Sexta catatroparum classis ea exempla comprehendit, — sunt autem omnino *quattuor* —, in quibus in catatropa *generalis sententia* ponitur, quae et archae convenit et omphalo. His catatropis lenissimus transitus efficitur. Cum in vetustiore compositionis genere membra vicina data opera inter se segregarentur et distinerentur, Pindarica ars

eo paullatim progressa est, ut, ubi rei et carminis consilio convenire videretur, archa et omphalus communi catatropae vinculo satis arcte coniungerentur. Generalis igitur illa in catatropa sententia archae quodammodo clausula est, omphali vero exordium. Velut in carmine *Ol. X* in archa dictum erat: non sine severa disciplina et summa in laboribus tolerandis patientia luctandi peritiam parari ac saepe victoriam secundo demum conatu facto obtingere. Sequitur in catatropa generalis sententia haec, *Ol. X, 22*: ἄπονον δ' ἔλαβον χάριμα παῦροί τινες, || ἔργων πρὸ πάντων βίῳ τῳ φάος. Sequitur in omphalo Herculis adversus Actoridas bellum primum infelix, v. 32 ἔπερσαν αὐτῷ στρατὸν || μυχοῖς ἡμενοὶ Ἄλιδος || Μολιόνες ὑπερφίαλοι, postremo felicissimum, v. 35 Ἐπειῶν βασιλεὺς ὄπιθεν || οὐ πολλὸν ἴδε . . . || βαθὺν εἰς ὄχετόν ἄτας || ἴζοισαν ἑὰν πόλιν. — Eadem plane ratio est loci *Pyth. I, 54*: πόνων δ' οὐ τις ἀπόκλαρὸς ἔστιν οὔτ' ἔσεται. Haec sententia in omphalo minus aperte tractatur, nam omphalus in felicitate Battii et in Apollinis favore et gratia describendis versatur; sed tamen dictum illud per totam omphali narrationem quasi submissa voce ubique insusurratur; nam Battus post maximos demum labores felici eventu potitus est. — *Pyth. III, 59*: χρὴ τὰ εἰκότα πᾶρ δαιμόνων μαστευέμεν θναταῖς φρασίν, || γρόντα τὸ πᾶρ ποδός, οἷας εἰμὲν αἴσας. In hoc exemplo omnia plana et clara sunt. — In carmine *Pyth. IX* hanc summam sententiam poeta persequitur: temporis opportuni summam in omnibus rebus vim esse. Hoc praeceptum iam in archa tectius illustratum erat. Finitur archa in laudibus Telesicratis victoris, quarum magna copia sit: v. 76: ἀρετὰ δ' αἰεὶ μεγάλα πολὺμυθοι. Iam catatropa haec inseritur: Verum in laudibus quoque modus tenendus est; nam omnium quarumlibet rerum principatum summum tenet ὁ καιρὸς, opportuno tempus; *Pyth. IX, 77*: βατὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν | ἀκοὰ σοφοῖς· ο δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν. Iam sequitur in omphalo luculentum, quo praeceptum illud firmatur, documentum: fabula de Iolai senis cum Eurystheo pugna.

16. *Septima* classis, in qua eis, quae in archa dicta erant, contrarium quiddam opponitur. Ea *quinque* habet exempla, primum: *Pyth. X, Isth. VI*.

Sequitur *septima* catatroparum classis cum exemplis *quinque*, quorum ea est ratio, ut in catatropa et in omphalo subsequente ponatur aliquid, quod rebus in archa postrema expositis contrarium sit. Hoc genus longe differt ab illa catatroparum forma, in qua archa duriuscule abrumpitur, qualia in prima classe collegimus. Immo in ipsa oppositione vinculum inest, nam quae opposita sunt notissimum est invicem sese postulare. In hac igitur classe compositionis ars subtilior est: nam dirimuntur sane et separantur partes carminis finitimae, in ipsa tamen separatione coniunctio inest. Exempla rem claram perspicuamque facient. Luculentissimum huius classis specimen est Pindari carmen eorum, quae habemus, antiquissimum, *Pythium X*. Dixerat in archa: Phriciam et filium Hippocleam ad extremam humanae felicitatis metam pervenisse: v. 28: περαινεί πρὸς ἔσχατον || πλόον.

Iam in catatropa pergit: esse felicitatem quandam inconcussam, nunquam turbatam, in Hyperboreorum insulis, quo nemo unquam mortalium pervenerit, uno Perseo excepto, *Pyth. X. 29*: ναυσὶ δ' οὔτε πεζὸς ἰὼν ἂν εὖροις || ἐς Ὑπερβορέων ἀγῶνα θαυμάτων ὁδόν. Sequitur omphalus a pronomine relativo incipiens v. 32: παρ' οἷς ποτε Περσεὺς ἐδαΐσατο . . . — In carminis Isth. VI archa poeta, leniter quidem tecteque, sed intelligentibus haud ambigue, Spartanorum animum ingratum tetigerat, qui pro beneficio olim a Thebanis accepto gratias in summo Thebarum discrimine persolvere omisissent. Mitigat reprehensionis acerbiter excusatione adiecta v. 17: ἀνάνηδες δὲ βροτοί, || ὅ τι μὴ σοφίας ἄωτον ἄκρον || κλυταῖς ἐπέων ῥοαῖσιν ἐξίκηται ζυγόν. Sed haec ipsa egregie factorum inevitabilis oblivio, quae, nisi carmina poetarum sint, immortalitati prospicientia, merita vel pulcherrima nocte invidiosa obruat, incitamentum egregium esse debet, ut nunc Strepsiadae Thebani meritis et victoriae omni diligentia a poeta carmine prospiciatur. Hoc sibi vult catatropa, *Isth. VI. 20*: κόμαζ' ἔπειτεν ἄδυμελεῖ σὺν ὕμνῳ || καὶ Στρεψιάδῃ· φέρει γὰρ Ἴσθμοῖ νίκαν παγκρατίου.

17. Classis *septimae tria* exempla postrema: *Ol. I. Nem. VII. Isth. II. Gravisimae* longe inter catatropam et archam dissensionis exemplum carmen est *Isth. II.*

Eodem pertinet carminis *Ol. I* catatropa. In archa memoraverat poeta famam volgarem atque haud satis dignam de Pelope a patre Tantalo in deorum immortalium epulis in frustra dissecto. Hanc fabulam vehementer improbandam censet. Iam in catatropa dicit: in locum fabulae indignae meliorem se nunc et magis decoram substituturum. *Ol. I. 31*: Χάρις . . . || ἐπιφέρειοσα τιμὰν καὶ ἄπιστον ἐμήσατο πιστόν || ἔμμεναι τὸ πολλάκις: || . . . ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν εἰκόδς ἀμφὶ δαιμόνων καλά· μείων γὰρ αἰτία. — Simillima eius, quam modo tractavimus, catatropa est in carmine *Nem. VII.* In extrema archa dictum erat: Homines vere sapientes, qualis sit Thearion, non falsam gloriam fucatumque nitorem expetere; eos semper communis hominum sortis memores esse, quae tam opulentissimos, quam egentes ad mortem rapiat; v. 19 ἀφνεὸς πενιχρὸς τε θανάτου πέρας || ἅμα νέονται. Iam sequitur catatropa: Verum dulci ore Homerus interdum in carminibus, gratis mendaciis plenissimis, falsa fucataque merita laudibus extulit, veram virtutem obscuravit; Ulixis haud dubie aerumnas laboresque vero augustiores maioresque finxit; *Nem. VII. 20*: ἐγὼ δὲ πλέον' ἔλπομαι || λόγον Ὀδυσσεὸς ἢ πάθεν διὰ τὸν ἄδυεπὴ γένεσθ' Ὀμηρον. In omphalo sequitur narratio de iniustissima Graecorum in armorum iudicio sententia. — Eadem est catatropae natura et ratio in carmine *Isthmio II.* In archa Pindarus saeculi mores incusat: omnia divitiis et opibus regi; ne Musam quidem, quae olim dilectis hominibus nulla argenti spe inservierit, nunc sine mercede dona sua porrigere. Nimis profecto nunc verum esse Aristodemi dictum: Χρήματα, χρήματ' ἀνήρ. Sequitur catatropa: Verum, Thrasybule, tu, qua es prudentia, adprime gnarus es, me non esse in

poetarum emptorum conductorumve numero, qui cuilibet venales sint. Ego claram notamque per Graeciam victoriam cano, vestram illam, quam in Isthmo equis Xenocrates adeptus est, *Isth. II, 12*: ἔσσι γὰρ οὖν σοφός, οὐκ ἄγνῶτ' αἶδω || Ἴσθμίαν ἵπποισι νίκαν, || τὰν Ξενοκράτει Ποσειδάων ὀπάσαις . . . Omphalus Xenocratis, Thrasybuli patris, victorias persequitur. Poeta igitur in catatropa longe se seorsum sentire ab eis, quae in archa rettulerit, profitetur eaque ipsa re transitum ad omphalum sibi firmat. Illis igitur, quas distinximus, septem classibus varietas omnis catatroparum in Pindari carminibus continetur. Atque unum satis clare ex hac sylloga elucet: catatropas vi et natura sua apud Pindarum maxime inter se diversas esse; eis enim interiectis archa modo ab omphalo prae fracte diiungitur, modo pressius arctiusque cum eo copulatur; sed inter haec duo contraria complures gradus constituti a poeta sunt, quibus genera mitiora, magis minusve vel in seiungendo vel in vinciendo efficacia, continentur. Nam non usquequaque extrema et vehementiora poetae placuerunt, sed interdum etiam aurea mediocritate delectatus est.

18. *Metacatatropas* apud Pindarum magis separandi quandam, quam vincendi vim et naturam habere. Id ipsum quibus indiciis constat.

Absolutis eis quae de Catatropae apud Pindarum usu dicenda erant, nunc alteram illam, qua omphalus terminatur, quasi metam consideremus: *Metacatatropam*, qua carminis cursus, mutato argumenti genere, ad sphragidem traducitur. In prisco epinicionum genere, ad Terpandri regulas temperato, ea laud dubie poetis singularis quaedam cura fuit, ut partes finitimae clare altera ab altera secernerentur. Hoc ipsum ut assequerentur, nihil quidquam efficacius excogitari potuit, quam hoc artificium, ut post rerum in omphalo narratarum copiam, antequam ad novom aliarum rerum ordinem transiretur, poeta suae vel personae vel amicitiae vel officii sui aliquam memoriam interponeret. Hac mentione inserta nemini, novom nunc exordium contexi, obscurum esse poterat. Iam si in universum de artis genere, qua Pindarus metacatatropam tractavit et excoluit, iudicium ferendum sit, ita dicendum erit: in metacatatropa eum magis, quam in catatropa veteri epinicionum normae adhaesisse; in permagna enim metacatatroparum parte hoc propositum sequitur, ut finitima carminis membra metacatatropis, tanquam gromaticorum in finium regundorum arte distinctis minimeque dabiis limitibus, distineantur. Ex triginta enim sex carminibus decem tantum sunt: *Ol. VII, 77*; *Ol. VIII, 54*; *Pyth. IV, 263*; *Pyth. V, 101*; *Pyth. XII, 22*; *Nem. III, 65*; *Nem. V, 40*; *Nem. X, 49*; *Isth. III, 55*; *Isth. VII, 59*, quorum metacatatropa nullam ipsius poetae mentionem habet. Verum quamvis confitendum sit, metacatatropas Pindaricas longe plurimas segregandi magis, quam vincendi et copulandi vim habere, tamen magna in eo ipso separandi studio est earum inter se diversitas. Nam quae in omphalo exposuerat poeta, aut prae fractius asperiusque aut lenius mitiusque abrumpi et in novom quasi alveum deduci poterant. Itaque in metacatatroparum quoque

XVIII

arte aliquot classes distinguamus necesse est. His classibus, licet maxime inter se diversae sint, hoc unum tamen commune est, quod semper poeta pro carminis uniuscuiusque consilio, habitu, stilo in universum metacatatropam sive duriorem sive leniorem eligit.

19. *Prima* classis, metacatatropas „abruptentes“ continens, *novem* exempla praebet. Eorum quinque duriuscula sunt: *Pyth. X, Nem. IV, Pyth. XI, Isth. V, Ol. XIII.*

Iam secundum eorum nunc graduum ordinem metacatatroparum classes recensamus. *Prima* classis, quae *novem* exempla praebet, ea est natura, ut poeta omphali narrationem abruptendam sibi esse dicat aut eam ob causam, quod fabellis mythicis, a rebus victoris amici paullo remotioribus, finis tandem imponendus sit, aut quod laudis copia et ubertas, quae in omphalo cumulata sit in victorem eiusque patriam, licet per se ipsa iustissima sit, tamen invidiam livoremque parere possit. Egressioni mythicae frenos imponit poeta his locis. *Pyth. X* post narratam Persei fabulam, v. 51: κώπαν σχάσον. ταχὺ δ' ἄγκυραν ἔρεισον χθονὶ || πρῶραθε, χοιράδος ἄλκαρ πέτρας. — *Nem. IV* post fabulam de Pelei nuptiis eadem navigationis in extremam quandam oram orbis terrarum evagatae imago redit, *Nem. IV, 69*: Γαδείρων τὸ πρὸς Ζόφον οὐ περατόν. ἀπότρεπε || αὐτίς Εὐρώπην ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός. — *Pyth. XI* post narrationem in omphalo de Clytaemnestrae scelere et supplicio de ea ab Oresta sumpto eum in modum pergit poeta, tanquam fabulam haud auspicato a se exorsam cito abruptere utique melius sit, *Pyth. XI, 38*: κατ' ἀμεισίπορον τρίοδον ἐδινήθην || ὀρθὰν κέλευθον ἰὼν τὸ πρὶν' ἢ μὲ τις ἄνεμος ἔξω πλόου || ἔβαλεν, ὡς ὄτ' ἄκατον εἰναλίαν. — In carmine *Isth. V* Herculis vaticinium apud Telamonem de Aiace filio, quem mox suscepturus sit Telamon, in omphalo narratur; vaticinio edito Hercules considit, v. 55: ὡς ἄρα εἰπὼν αὐτίκα || ἔζει'. Pergit in metacatatropa *Isth. V, 56*: ἐμοὶ δὲ μακρὸν πάσας ἀναγῆσασθ' ἀρετάς· || Φυλακίδα γὰρ ἦλθον, ᾧ Μοῖσα, ταμίαις. — *Ol. XIII* Bellerophonis res gestas in omphalo explicuerat Pindarus, exitum tristiolem quoque herois nutu significans. Iam sequitur hoc, quod ipse poeta secum instituit, colloquium *Ol. XIII 93*: ἐμὲ δ' εὐθὺν ἀκόντων || ἰέντα βόμβον παρὰ σκοπὸν οὐ χρῆ || τὰ πολλὰ βέλεα κρατύνειν χερσῶν.

20. Classis primae mitioris generis exempla quattuor: *Isth. I, Isth. IV, Pyth. I, Nem. VII.*
Abruptentes metacatatropas crebriores esse in omphalis mythicis terminandis,
quam in omphalis victoris personam spectantibus.

Postremo quattuor sunt in hac classe exempla, in quibus narrationi in omphalo finem iamiam imponendum poeta dicit, ne in invidiam hominum incurrat: saepe spretam gloriam omni laude palam enuntiata pulchriorem esse. *Isth. I* omphalus non in fabulis mythicis, sed in victoriis Herodoti Thebani celebrandis altius paullulum, quam rebus hu-

manis tutum videri posset, insurrexerat. Pindarus modestiae memor pergit *Isth. I, 60*: πάντα δ' ἔξειπείν, ὅσ' ἀγώνιος Ἑρμᾶς || Ἡροδότην ἔπορευν || ἵπποις, ἀφαιρείται βραχὺ μέτρον ἔχων || ὕμνος . ἧ μὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον εὐθυμίαν μείζω φέροι. — Post eximias Aeacidarum et Aeginetarum laudes in omphalo expositas hunc in modum pergit *Isth. IV, 46*: πολλὰ μὲν ἀρτιεπῆς || γλῶσσά μοι τοξεύματ' ἔχει περὶ κείνων || κελάρυσαι . . . || . . . || v. 51 ἀλλ' ὅμως καύχημα κατὰβρεχε σιγῶ. — Simili modo expositis in omphalo Hieronis eximiis meritis in metacatatropa rursus ab omnibus rebus nimis abstinendum esse, in tempore monet *Pyth. I, 81*: καιρὸν εἰ φθέγγαιο, πολλῶν πείρατα συντανύσαις || ἐν βραχεῖ, μείων ἔπεται μῶμος ἀνθρώπων. ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει || . . . ταχίας ἐλπίδας. — Deinde post duas in omphalo de clarissimis Aeacidis, Aiace et Neoptolemo, fabulas, laudata eximie eorum patria Aegina, fastidium et satietatem vel in praeclarissimis rebus vitanda Pindarus censet *Nem. VII 52*: ἀλλὰ γὰρ ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεία ἔρρω· κόρον δ' ἔχει || καὶ μέλι καὶ τὰ τέρπν' ἀνθε' Ἀφροδίσια.

Tota igitur haec classis metacatatropas, quas *abrumpentiles* vocare possimus, comprehendit; omphalus modo durius, modo lenius abrumpitur. Illud quoque quaesito dignum videri possit, cui potissimum argumentorum in omphalo generi haec metacatatroparum forma propria sit. Etenim duo sunt omphalorum omnino genera: alterum, quod in fabulis mythicis enarrandis versatur, alterum, quod rebus et meritis victorum exornandis destinatum est. Iam si quaeramus, abrumpentis metaphorae, utri magis convenient, prius illud genus, mythicum, violentiores has transeundi ad sphragidem formulas magis admare, exempla ipsa inspecta clare nos edocent. Septem enim carminibus hoc commune est, quod omphalum mythicum habent: *Pyth. X, Nem. IV, Pyth. XI, Isth. V, Ol. XIII, Isth. IV, Nem. VII*. Duo tantum sunt, quorum omphali in rebus victorum ornandis integri absumuntur: *Isth. I* et *Pyth. I*. Hanc rem si recte reputemus, facile in eam opinionem adducamur, prisco potissimum illi epiniciorum generi metacatatropas illas abrumpentis consuetas fuisse. In eis enim ei, opinor, omphali, quorum argumentum mythicum esset, principatum tenuerunt.

Accedit quod, si metacatatroparum abrumpentium illud artificium per se ipsum spectes, longe magis omphalis eis, qui a laude victoris argumentum sibi petunt, convenit, quam mythicis; nam in humana fortuna celebranda talis ad cursum inhibendum et refrenandum exhortatio aptissima videri debet. In narrationibus mythicis idem illud artificium rudiosem profecto quendam artis etiam tunc usum significat. Quamobrem verisimillimum est, Pindarum, qua fuit rerum antiquitate sacratarum veneratione, tales formulas a priscis in poesi magistris accepisse eisque carminibus quibus antiquitatis saporem admixtum vellet, inseruisse.

21. *Secunda* classis, in qua a priscis et mythicis rebus ad praesentia se vocat poeta. *tria* exempla habet: *Pyth. VI, Ol. I, Nem. VI.*

Accedimus nunc ad *secundum* classem, cui *tria* exempla adscribenda sunt. In ea Pindarus ab omphalo ita discedit, non ut ipse sese increpet, tanquam nimium iam diu in materia a re proposita aliena commoratus sit, sed ut iamiam a rebus priscis et propter aetatem venerandis ad haec praesentia, quae dulcissimi debiti instar sese urgeant, transeundum esse dicat. *Pyth. VI, 43* post fabulam de Antilochō: τὰ μὲν παρίκει· ἢ τῶν νῦν δὲ καὶ Θρασύβουλος ἢ πατρῴων μάλιστα πρὸς στάθμαν ἔβα. — *Ol. I, 96* post narrata in omphalo Pelopis fata: τὸ δὲ κλέος ἢ τηλόθεν δέδορκε . . . ἢ Πέλοπος, . . . ἢ v. 102 . . . τὸ δ' αἰεὶ παράμερον ἔσλόν ἢ ὑπατον ἔρχεται παντὶ βροτῷ. — *Nem. VI, 61* poeta imagine utitur vere Aeginaetice, a re maritima sumpta: quemadmodum illa unda, quae proxima est carinae navis, maxime semper sollicitum reddit nautarum animum, ita cura praesens mihi proxima esse debet; *Nem. VI, 61*: καὶ ταύταν μὲν παλαιότεροι ἢ ὁδὸν ἀμαξιτὸν εὖρον· ἔπομαι δὲ καὶ αὐτὸς ἔχων μελέταν· ἢ τὸ δὲ πᾶρ ποδὶ ναὸς ἐλισσόμενον αἰεὶ κυμάτων ἢ λέγεται παντὶ μάλιστα δονεῖν ἢ θυμόν.

22. In *tertia* classe, quae *quinque* exempla habet, species quaedam est vehementioris diremptionis, re vera cogitatorum subtilis coniunctio. Eius exempla sunt: *Ol. IX, Ol. III, Pyth. IX, Isth. II, Ol. II.*

Sequitur *tertia* classis cum *quinque* exemplis, in qua terminato omphalo poeta ad novom canendi impetum insurgit, ut debita laude victorem cumulet. Sententia igitur haec plerumque est: insignem laudis et meritorum copiam paratam esse in victore, quae poetam alliciat. In hac classe notabile est, omphalum satis abrupte finiri, nullo tamen verbo, cur id ita faciat poeta, addito. Attamen plerumque ipsorum cogitatorum nexus tam perspicuus est, ut verbis eum indicantibus supersederi possit. Magna profecto in his metacatatropis ars inest. Luculentum tectioris eiusmodi transitus exemplum est carmen *Ol. IX*. In postremo omphalo de Achillis et Patrocli amicitia inseparabili dictum erat. In metacatatropa poeta vim sibi ad canendum exoptat, primo hercle adspectu prae fracto transitu nullaque omphali ratione habita. *Ol. IX, 80*: εἶην εὐρησιεπῆς ἀναρεῖσθαι ἢ πρόσφορος ἐν Μοισᾶν δίφρῳ· ἢ τόλμα δὲ καὶ ἀμφιλαφῆς δύναμις ἢ ἔσποιτο. Sed paucissimis verbis interiectis in sphragide non Epharmostum solum victorem canit, sed una cum Epharmosto familiarissimum eius, immo eius quasi Patroclum, Lampromachum, v. 83: ἦλθον ἢ τιμάορος . . . Λαμπρομάχου ἢ μίτραις. Scholiasta ad *Ol. IX, 125*, p. 225 Boeckh. ἐπεὶ δὲ Ἐφάρμοστος καὶ Λαμπρόμαχος Ὀπούντιοι ὄντες φίλοι τε ἦσαν καὶ ἐν τῷ Ἰσθμῷ ἀμα ἐνίκησαν, . . . καὶ τοῦτου μέμνηται. — Similis est ratio in carmine *Ol. III*, ubi in omphali fine narratum erat. Her-

culem cum in caelum adscensus esset, Olympicorum certaminum curam et custodiam Dioscuris mandasse. Iam in metacatropa ad rem praesentem, ad Theronis victoriam, ita transit poeta, *Ol. III, 38*: ἐμὲ δ' ὦν παρ θυμὸς ὀτρύνει φάμεν Ἑμμενίδαις || Θήρωνι τ' ἔλθειν κῦδος, εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν. — In carmine Pyth. IX post omphalum, quo copiose iam ipsius victoris Telesicratis laudes poeta prosecutus erat, maiorum quoque nunc memoriam se praedicare velle Pindarus dicit, *Pyth. IX, 103*: ἐμὲ δ' ὦν τις αἰοιδᾶν || δίψαν ἀκείομενον πρᾶσσει χρέος αὐτίς ἐφείραι || καὶ τεῶν δόξαν παλαιῶν προτόνων, nam ita hunc locum recte e codicum scriptura vitiosa: καὶ παλαιῶν δόξαν τεῶν προτόνων Bergkii restituit. Notanda est formula: ἐμὲ δ' ὦν, qua metacatropa quoque carminis *Ol. III, 38* introducitur.

Huic classi duo quoque carmina adscribenda videntur, in quibus metacatropa non abrumpit omphali cursum, sed novom potius in eodem cursu impetum significat. In ambobus hisce carminibus omphalus argumentum sibi petit ex ipsius victoris praestantia. *Isth. II, 35* de Xenocratis virtute: μακρὰ δισκῆσαις ἀκοντίσσαιμι τοσοῦθ', ὅσον ὄργαν || Ξεινοκράτης ὑπὲρ ἀνθρώπων γλυκεῖαν || ἔσχεν. — *Ol. II, 91* prior metacatropae pars ad omphalum respicit; posterior sine transitu novom illum canendi impetum, quem poeta meditetur, describit: πολλὰ μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη || ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας . . . || v. 98: ἔπεχε νῦν σκοπῶ τόξον, ἄγε θυμέ, τίνα βάλλομεν || ἐκ μαλθακᾶς . . . φρενὸς . . . διστοῦς ἰέντες; Hoc exemplum eorum omnium, quae in tertia classe collocavimus, lenissimum est; apparet in eo luculenter eximia Pindari in metacatropis componendis ars. Nam cogitata et verba eum in modum elegit et ordinavit, ut membra vicina, omphalum et sphragidem, et segregaret eadem opera et vinciret.

23. *Quarta* classis, in qua omphali clausulam excipit metacatropa, exceptam ad sphragidem transmittit, cum *quinque* exemplis: *Isth. VII, Ol. X, Isth. III, Nem. VIII, Pyth. IV.*

Quarta, quae iam sequitur, classis cum *quinque* exemplis ea ratio est, ut in omphalo postremo aliqua rerum conditio fingatur, quae excepta in metacatropa fundamentum contineat sphragidis. In hac igitur classe vinculo quodam naturali et simplici omphalus cum sphragide conectitur. Res qualis sit, ipse Pindarus in clarissimo huius generis exemplo eleganter illustrat. In carmine *Isth. VII* in extremo omphalo Achillem mortuum ipsae Musae deflevisse dicuntur. Pergit poeta in metacatropa hunc in modum, ex divino Musarum exemplo generalius quiddam colligens *Isth. VII, 59*: ἔδοξ' ἄρα καὶ ἀθανάτοις, || ἔσλόν γε φῶτα καὶ φθίμενον ὕμνοις θεᾶν διδόμεν. Hoc ipso praecepto utitur in sphragide Pindarus ad Nicoclem, victoris Cleandri fratrem patrualem, defunctum, laudandum; ita enim huius laudis rationem quasi reddit v. 61: τὸ καὶ νῦν φέρει λόγον, ἔσσυται τε || Μοισαῖον ἄρμα Νικοκλέος || μνάμα πυγμαίου κελადῆσαι. — Similis locus *Ol. X, 78*: ἀρχαῖς δὲ

πρωτέραις ἐπόμενοι καὶ νυν ἐπωνυμίαν χάριν ἥ νίκας ἀγερούχου ἥ κελαδησόμεθα βροντὰν ἥ . . . Διός . . . — In carmine Isth. III omphali argumentum est Aiacis ad Troiam iniquo Graecorum iudicio in furorem adacti mors voluntaria. Iam metacatatropae haec sententia est: Sed Homerus gloriae eius praeco fuit, quemadmodum omnino quae poetarum ore celebrantur, immortalitatem nanciscuntur, *Isth. III, 55*: ἀλλ' Ὀμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων . . . ἥ . . . τοῦτο γὰρ ἀθάνατον φωνάεν ἔρπει, εἴ τις εὖ εἶπη τι, καὶ . . . ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντον βέβακεν. — Iam operae pretium est cognoscere, quemadmodum in alio carmine, *Nem. VIII*, ab eodem in omphalo argumento, ab armorum ad Troiam iudicio, Pindarus per metacatatropam ad sphragidis propositum longe ab illo diversum transierit. Ait enim *Nem. VIII, 35*: εἴη μὴ ποτέ μοι τοιοῦτον ἦθος. Ζεῦ πάτερ. In sphragide deinde morum candor et innocentia laudantur. — In carmine Pyth. IV in omphali clausula hoc dixerat poeta: Reges Cyrenenses, Arcesilai maiores, singulari prudentia, ab Apolline eis donata, regnum inconcussum servasse. In metacatatropa eandem in Arcesilao prudentiam requirit, *Pyth. IV, 263*: γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν.

Sed in his nunc subsistendum.

S C H O L A E

SECUNDVM ORDINES DISCRIPTAE

I. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

- GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT** Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae aevi recentissimi ab anno huius saeculi XIV usque ad nostra tempora enarrabit bis p. h. d. Sat. h. IX et X *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem primam tradet usque ad Caroli m. tempora quinquies p. h. h. X.
- GVILELMVS IVLIVS MANGOLD** Dr. *Publice* I. Historiam Canonis Novi Testamenti die Sat. h. XI. XII tradet. *Privatim* II. Epistolam ad Hebraeos datam quinquies p. h. h. XI explicabit. III. Introductionem in Novum Testamentum quinquies p. h. h. XII docebit.
- ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN** Dr. *Publice* I. Seminarii exercitationes ad Vet. Test. spectantes moderabitur. *Privatim* II. Librum Geneseos explicabit quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII. III. Theologiam Veteris Testamenti docebit quinquies h. IX.
- THEODORVS CHRISTLIEB** theol. et phil. Dr. *Publice* I. Recentiorum philosophorum de religione et deo notiones exponet bis dieb. Lun. et Iov. h. IV. II. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget. *Privatim* III. Artem catecheticae docebit ter dieb. Lun. Merc. Ven. h. IX. IV. De constitutione ecclesiae evangelicae disseret bis dieb. Mart. et Iov. h. IX.
- GVILELMVS FRIDERICVS BENDER** Dr. *Publice* I. Seminarii theologici exercitationes dogmatico-historicas moderari perget. *Privatim* II. Encyclopaediam atque historiam theologiae evangelicae tradet ter dieb. Mart. Merc. Iov. h. X. III. Philosophiam religionis docebit ter dieb. Mart. Merc. Iov. h. XII.
- LVDOVICVS LEMME** Dr. *Publice* I. De ecclesia et symbolo disseret die Merc. h. IV. *Privatim* II. Theologiam dogmaticam docebit quinquies p. hebd. h. X. III. Theologiam symbolicae docebit quinquies p. hebd. h. XI.

2. *Professores extraordinarii*

- CAROLVS BENRATH Dr. *Privatissime et gratis* I. Librum Anselmi Cantuariensis 'Cur Deus homo' interpretabitur semel bisve p. h. h. v die Lun. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem tertiam (1517--1800) exponet quinquies p. h. h. XI.
- CAROLVS BVDDE Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas instituet bis terve p. h. h. VIII dieb. Merc. et Sat. *Privatim* II. Librum Iobi interpretabitur quater p. h. h. VIII.

3. *Privatim docens*

- FRIDERICVS SPITTA theol. Lic. *Gratis* I. Epistulas Pauli ad Thessalonicenses scriptas interpretabitur bis d. Merc. h. XI. XII. *Privatim* II. Historiam saeculi apostolici enarrabit quater d. Merc. VII. VIII; d. Sat. VII. VIII.

II. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

Professores ordinarii

- ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Encyclopaediam theologicam tradet bis p. h. h. IX. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae partem II tractabit quater p. h. h. IX.
- FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Hermeneuticam biblicam docebit bis p. h. h. X. *Privatim* II. Psalmos enarrabit quater p. h. h. X.
- IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. Epistolas catholicas interpretabitur semel p. h. h. XI. *Privatim* II. Introductionem in libros Novi Testamenti tradet ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae partem II enarrabit quinquies p. h. h. XII.
- HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Privatim* I. Theologiae dogmaticae p. I docebit sexies p. h. h. VIII. *Privatim* II. Theologiae moralis p. II tractabit quinquies p. h. h. X. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes catecheticas moderabitur semel p. h. h. V.
- CAROLVS HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Ecclesiae christianae apud Germanos primordia et incrementa dilucidabit bis p. h. h. III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem primam enarrabit quinquies p. h. h. IX.
- FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. Librum Danielis prophetae interpretabitur dieb. Lun. Mart. h. XII. *Privatim* II. Introductionis in Libros sacrae scripturae partem generalem tradet dieb. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Theologiae pastoralis partem priorem docebit dieb. Mart. Iov. Ven. h. XII. *Privatissime et gratis* IV. Exercitationes homileticas moderari perget d. Sat. h. XII.

III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

1. *Professores ordinarii*

- HVGGO HAELSCHNER Dr. *Privatissime et gratis* I. In Seminario regio exercitationes iuris criminalis moderabitur d. Lun. h. V et VI. *Privatim* II. Doctrinam proecessus criminalis

tradet quater p. h. h. VIII. III. Ius naturae sive philosophiam iuris docebit quinques p. h. h. IX.

IOANNES FRIDERICVS DE SCHVLTE Dr. *Publice* I. Ius cambiale semel die Iov. h. IV et V. *Privatim* II. Ius privatum germanicum diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX. Ius mercatorium et maritimum diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. IV. Ius ecclesiasticum catholicorum atque evangelicorum docebit dieb. Merc. et Sat. h. VIII et IX.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Publice* I. De ordine iudiciorum imperii Germ. semel die Merc. h. XII. *Privatim* II. Processum civilem docebit, quinques h. XI. III. Processum concursus bis dieb. Lun. et Iov. h. XII.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris civilis moderabitur die Ven. h. V et VI. *Privatim* II. Institutiones iuris civilis docebit quinques h. X. III. Historiam iuris Romani enarrabit quinques h. XI.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Iura honorum ecclesiasticorum tam ex iuris communis quam ex recentiorum legislationum imprimis Borussiae et Francogalliae praeceptis tradet dieb. Mart. et Iov. h. V. *Privatim* II. Ius publicum Germaniae et Borussiae quinques p. h. h. XII docebit. III. Ius gentium quater p. h. h. XI exponet.

CONRADVS HYBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes iuris germanici privati historicas in seminario regio iuridico instituet die Merc. h. V et VI. *Privatim* II. Historiam iuris et imperii Germanici docebit quinques dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX.

ERNESTVS ZITELMANN Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio societati iuris Romani praeerit die Mart. h. VI et VII. *Privatim* II. Ex Pandectarum parte priore: partem generalem et partis de obligationibus capita generalia tradet die Mart. Iov. Ven. h. XI et XII. III. Ex Pandectarum parte posteriore ius hereditarium docebit die Mart. Iov. Ven. h. VIII. IV. Exercitationes exegeticas instituet die Merc. h. XI et XII.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. Ius metallicum semel die Merc. h. XII. *Privatim* II. Ius administrationis quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII docebit.

3. *Privatim docentes*

PAVLVS IOERS Dr. *Privatissime et gratis* I. Gai librum IV commilitationibus interpretandum proponet die Merc. h. IV et V. *Privatim* II. Iuris Romani elementa historica docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII. III. Ex Pandectarum parte priore ius rerum et iuris obligationum capita specialia tractabit d. Lun. et Merc. h. XI et XII.

ERNESTVS LANDSBERG Dr. *Gratis* I. In foro civili quomodo processerint Romani enarrabit die Mart. h. V et VI. *Privatim* II. Ex Pandectarum parte altera ius circa familiam exponet die Lun. et Merc. h. X.

IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

- GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaeceologiae partem tradet d. Merc. h. VII. *Privatim* II. Medicinam forensem docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. III. Exercitationes practicas in clinico gynaeceologico moderabitur quotidie h. XII.
- FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. Animalium vertebratorum historiam evolutionis tradet semel d. Ven. h. IV. *Privatim* II. Anatomiae comparatae partem primam docebit d. Lun. Merc. Iov. h. IV.
- EDYARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderari perget. *Privatim* II. Physiologiam generalem specialisque partem primam i. e. animale d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX docebit. III. Cursum physiologiae chemicae d. Mart. et Ven. h. II et III habebit.
- HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis ex infectione ortis d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Clinicum et polielinum medicum moderabitur quotidie h. $X\frac{3}{4}$ —XII.
- CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Pathologiam generalem quater h. VIII, semel h. V docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi eadavera bis h. IV et V instituet. IV. Cursum microscopicum anatomiae pathologicae bis h. VII et VIII habebit.
- THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De oculi morbis interioribus disseret adiunctis demonstrationibus pathologicis anatomicis d. Iov. h. II. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur dieb. Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et III. IV. Cursum functionum oculi perturbatarum diagnosticum habebit d. Iov. h. VIII.
- CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Pharmacologiae dimidiam partem una cum Formulari d. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. III docebit.
- ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum NVSSBAVM P. E. quotidie IX—IV. *Privatim* II. Anatomiam generalem tradet d. Lun. Merc. Ven. h. VII. III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum NVSSBAVM P. E. instituet de Mart. Iov. Sat. h. VII. IV. Cursum microscopicum d. Lun. et Ven. h. VIII habebit.
- FRIDERICVS TRENDELENBURG Dr. *Publice* I. Akiurgiae capita selecta tradet semel d. Ven. h. V. *Privatim* II. Clinicum et polielinum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX— $X\frac{3}{4}$. III. Cursum operationum chirurgicarum instituet quotidie h. VI—VIII.

2. *Professor ordinarius honorarius*

- WERNERVS NASSE Dr. *Privatim* Clinicum psychiatricum moderabitur semel d. Merc. h. V et VI.

3. *Professores extraordinarii*

- HERMANNVS SCHAAFFHAUSEN Dr. *Publice* I. Generis humani historiam primitivam tractabit bis p. h. h. III. II. Encyclopaediam artis medicae tradet semel p. h. h. III. *Privatim* III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas physiologiam generalem illustrantes bis p. h. h. III instituet.
- IOSEPHVS DOVTRÉLEPONT Dr. *Publice* I. De morbis syphiliticis aget d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Clinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII. III. Cursum operationum chirurgicarum una cum TRENDELENBURG P. O. instituet quotidie h. VI et VII.
- CAROLVS FINKELNBURG Dr. *Publice* I. Psychiatriam generalem tradet die Merc. h. v. *Privatim* II. Hygienam tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.
- CAROLVS DE MOSENGEIL Dr. *Publice* I. De fracturis et luxationibus disseret die Mart. h. v. *Privatim* II. Cursum fascias applicandi instituet dieb. Mart. et Ven. h. II.
- MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie. II. Capita selecta anatomiae et embryologiae animalium d. Merc. h. x. *Privatim* III. Demonstrationes et exercitationes microscopicas una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. d. Mart. Iov. Sat. h. VII. IV. Anatomiam organorum sentiendi d. Mart. Iov. h. VIII.
- DITTMARVS FINKLER Dr. *Publice* I. Studia in laboratorio clinico h. p. st. *Privatim* II. Propaedeuticam clinicam sexies quotidie h. IV.
- FRIDERICVS FVCHS Dr. *Publice* I. De principiis generalibus philosophiae naturalis disseret semel h. p. i. *Privatim* II. Iatrophysices capita selecta tradet bis h. p. i.
- HVGO RIBBERT Dr. *Publice* I. De morbis infectiosis semel h. p. st. *Privatim* II. Cursum ad introductionem in histologiam pathologicam instituet bis d. Mart. h. III—V.
- HENRICVS WALB Dr. *Publice* I. De morbis narium et faucium disseret d. Mart. h. v. *Privatissime et gratis* II. Polyclinicum otiatricum moderari perget dieb. Ven. et Sat. h. III. III. Studia in laboratorio clinico reget quotidie h. p. st.

4. *Privatim docentes*

- IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* Cursum operationum obstetriciarum bis instituet h. p. st.
- CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. De morbis narium et laryngis capita selecta semel. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae et rhinoscopiae habebit bis. *Privatissime* III. Polyclinicum morborum narium et laryngis moderabitur quotidie.
- SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Privatim* I. De variolis et vaccinatione adiungendis vacciuandi exercitationibus semel p. h. h. IV. *Privatissime et gratis* II. Colloquium et studia hygienica moderabitur semel p. h. h. p. st.
- GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis* I. De generatione semel d. Iov. h. XI. *Privatim* II. Repetitorium partium selectarum physiologiae bis h. p. st.
- THEODORVS RVMPF Dr. *Gratis* I. De morbis nervorum semel h. p. st. *Privatim* II. Exer-

- citationes neurologicas policlinicas d. Lun. et Iov. h. III. *Privatissime et gratis* IV. Laboratorium neurologicum quotidie h. p. st.
- OSCARVS WITZEL Dr. *Gratis* I. Chirurgiae specialis partem II docebit d. Mart. h. VII. *Privatim* II. De cognoscendis morbis chirurgicis aget bis d. Iov. et Ven. h. VII.
- AEMIIVS VNGAR Dr. *Privatissime et gratis* I. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. et Ven. h. II. *Privatim* II. Medicinam forensam commilitonibus iuris studiosis explicabit bis h. p. st.
- DITERICVS BARFVRTH Dr. *Gratis* I. De cerebro et medulla spinali aget die Merc. h. X. *Privatim* II. Osteologiam et syndesmologiam docebit d. Merc. et Sat. h. VIII.
- GEORGIVS KRIVENBERG Dr. *Privatim* I. De cognoscendis morbis gynaeccologicis aget d. Iov. III—V. II. Cursum operationum obstetriciarum instituet d. Merc. et Sat. IV.
- IOANNES PRIOR Dr. *Gratis* I. Balneotherapieam et Climatotherapieam semel docebit die Merc. h. V. *Privatim* II. Pulmonum morborum therapiam specialem pathologianque bis tradet die Mart. h. V et Iov. h. IV. *Privatissime et gratis* III. Consultatorium policlinicum ad modos medicorum percipiendos, quatenus aegroti suppetant, moderabitur quotidie, seposita una ad colloquia habenda hora die Sat. h. V.

V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

1. Professores ordinarii

- IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Linguae syriacae elemeta tradet usurus altera ehrestomathiae Roedigerianae editione, die Lun. Iov. h. II. *Privatim et gratis* II. Scriptores Arabes tractabit eisdem diebus h. XI. *Privatissime et gratis* III. Haririum interpretandum proponet dieb. Mart. Ven. h. II.
- PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Principia ethices exponet d. Mart. et Iov. h. IV. *Privatim* II. Metaphysicam docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.
- ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De versuris publicis die Merc. h. X. *Privatim* II. De re ditibus et exitibus publicis aget d. Lun. Mart. Iov. et Ven. h. X. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes oeconomicas moderabitur die Ven. h. V et VI.
- RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. Exercitationes physicas in seminario regio physico moderari perget semel p. h. d. Sat. h. VIII. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam i. e. physicen generalem et caloris theoriam tradet quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X. III. Opticen mathematicae tractabit experimentisque illustrabit quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.
- FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus ordinariis Aesehyli Supplices interpretandas proponet d. Mart. h. V et VI. *Privatim* II. Plauti Truculentum leget d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. *Privatissime* III. Exercitationes philologarum rerum instituet d. Iov. h. VI.
- HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus extraordinariis Theognidis

- et Historiarum Sallusti reliquias interpretandas proponet d. Merc. et Iov. h. v. *Privatim* II. Philologiae orbem artemque explicabit quater p. h. d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.
- RVDOLPHVS LIPSCHITZ** Dr. *Publice* I. In Seminario mathematico de functionum ellipticarum in arithmetica usu disseret d. Merc. et Sat. h. XI. *Privatim* II. Theoriam functionum ellipticarum exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Mechanices elementa docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.
- AVGVSTVS KEKVLÉ** Dr. *Publice* I. Chemiae organicae capita selecta tractabit semel d. Ven. h. v. *Privatim* II. Chemiae experimentatae partem I i. e. chemiam anorganicam tradet quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII. III. Exercitationes chemicas ad usum tironum instituet d. Lun. h. III—VI. IV. Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderabitur ma cum WALLACH P. E. quotidie ab h. VIII ad h. v.
- IVERGEN BONA MEYER** Dr. *Publice* I. Kantii philosophiam atque vim, quam in scientiis artibusque habuerit, exponet semel d. Merc. h. XII; horam alteram ad disputationes de re tractata habendas proponet. *Privatim* II. Paedagogices historiam tradet quater d. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. VIII.
- CAROLVS IVSTI** Dr. *Publice* I. Vasari vitam Raphaelis interpretabitur semel d. Iov. h. X. *Privatim* II. Historiam picturae Italicae inde a principio aevi Christiani enarrabit quater dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. XII.
- IOSEPHVS NEVHAEVSE** Dr. *Publice* I. Aristotelis metaphysicem et theologiam enarrabit bis die Mart. et Ven. h. VII. *Privatim* II. Logicem docebit, quinquies, primis hebdomadis dieb. h. VIII.
- HENRICVS NISSEN** Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus Monumentum Ancyranum tractandum proponet d. Iov. h. VI—VIII. II. Elementa chronologiae antiquae tradet d. Merc. h. IX. *Privatim* III. Historiam Romanam inde a bellis Punicis usque ad Augusti mortem enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.
- EDVARDVS LVEBBERT** Dr. *Publice* I. In seminario regio philologorum sodalibus ordinariis Ovidii Fastorum libros commentationibus illustrandos proponet die Ven. h. v et VI. *Privatim* II. Antiquitates iuris publici Graecorum enarrabit quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. h. IV et Sat. h. XI.
- EDVARDVS STRASBVRGER** Dr. *Publice* I. Familias plantarum selectas illustrabit semel d. Sat. h. XI. II. Seminarii regii physiei exercitationes botanicas d. Merc. h. IV moderabitur. *Privatim* III. Botanicem generalem docebit quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI. IV. Exercitationes botanicas microscopicas instituet d. Mart. et Ven. h. II ad h. IV. V. Quaestiones de rebus botanicis instituendas moderabitur quotidie ab h. VIII ad h. v.
- GERARDVS VOM RATH** Dr. *Publice* I. Americae septentrionalis geologiam et geographiam physicam docebit bis d. Mart. et Ven. IV. *Privatim* II. Selectas crystallographiae et mineralogiae partes tractabit bis d. Merc. et Sat. h. IV.
- RENARDVS KEKVLÉ** Dr. *Publice* I. Exercitationes archaeologicas moderari perget die Merc. h. X. *Privatim* II. Historiam sculpturae Graecae enarrabit in Museo academico quater p. h. dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

- CAROLVS MENZEL Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus fontes historiae Coloniensis XII et XIII saec. tractandos proponet h. p. i. *Privatim* II. Exercitationes palaeographicas moderabitur d. Mart. et Ven. h. III. III. Chronologiam medii aevi exponet d. Lun. et Iov. h. III.
- MAVRITIVS RITTER Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus acta concilii Tridentini a. 1563 tractanda proponet. die Ven. h. VI. *Privatim* II. Historiam Europae ab a. 1400 usque ad excessum Karoli V enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.
- GVILELMVS WILMANNVS Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii theodisci moderabitur d. Merc. h. v—VII. *Privatim* II. Elementa linguae goticae docebit d. Lun. Mart. Iov. h. IX. III. Syntaxin linguae theodiscae docebit d. Lun. Mart. Iov. h. X.
- THEODORVS AVFRECHT Dr. *Publice* I. Bhartriharis sententias morales interpretabitur d. Merc. h. VIII. *Privatim* II. Selecta Raghuvansae capita leget d. Mart. Iov. Ven. h. VIII.
- EDVARDVS SCHOENFELD Dr. *Publice* I. Usus ephemeridum astronomicarum exponet semel p. h. h. p. st. *Privatim* II. Elementa astronomiae et geographiae mathematicae docebit quater p. h. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes astronomicas moderabitur horis commodis.
- IOANNES IVSTVS REIN Dr. *Publice* I. Seminarii geographici exercitationes moderabitur d. Mart. VI—VIII. *Privatim* II. Americae geographiam docebit quinquies per hebdomadam h. VIII.
- WENDELINVS FOERSTER Dr. *Publice* I. Seminarii philologiae neolatinae sodalibus Petrarcae carmina tractanda proponet d. Iov. h. XI et XII. *Privatim* II. Linguae italicae recentioris, provincialis et francogallicae morphologiam exponet d. Lun. Mart. Ven. h. XI. III. Carminis epici de Hruodlando francogallici textum criticum codicum manuscriptorum auxilio constituet et interpretabitur d. Lun. Mart. Ven. h. XII.
